

Petrus Tomicki episcopus Posnaniensis regni Polonia vicecancellarius, capitulo Posnaniensi.

173

Scriptimus vobis non ita pridem, quanto conatu impetamus hic à secularibus, ut onus defensionis unà cum illis ferremus. Quod tametsi omni studio per hoc totum conventionis tempus declinare curaverimus, nihilque non tentaverimus, quo iura et immunitates ecclesiasticas illibatas conservaremus; tamen considerantes omnium in eo conatu pertinaciam, considerantes cum regni summum discrimen ab infidelibus, tum ecclesie gravissimam tempestatem ab heresibus, que indies magis invalescunt, timentes ne per nos stare viderentur, quominus oportuna defensio reipublica constitueretur, atque ita causa daretur improbis grassandi in bona nostra quibus inhiant, coacti sumus fundos ecclesie unà cum aliis in commune taxandos offerre, ad nonnullasque contributiones alias variis graves non submittere, quibus tamen nondum variati videntur, sed urgent nos ad devotas eidem oneri manipulandas, ad quod iugum indignum nos hactenus impellere non potuerunt, neque impellent adiutore Deo, vel nobis unis renitentibus.

Significatum est nobis Sigismundum Lascki animam agere, iamque fortassis hactenus

extin:

extinctum. Eius canonicatum conferre statui-
mus alicui viro idoneo, ut posthac prebendam
hanc doctoralem efficiamus, non obstante ioad-
iutione alterius, ad quam infringendam habere-
mus modos necessarios. Et proinde curetis
ne quid in ea re nobis insuis et irrequi-
sitis statuatis, presertim de acceptando altero
ad ecclesiam, et possessione tradenda. Ac
valete feliciter, nosque in vestris orationibus
habeatis commendatos. Datum Piotrovia